



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Illvstri Miramolino Regi Marrochetan. & subditis ejus, ad veritatis notitiam  
pervenire, ac in ea salubriter permanere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

*ILLVSTRI MIRAMOLINO  
Regi Marrochetan. & subditis ejus, ad  
veritatis notitiam pervenire, ac in ea  
salubriter permanere.*

*Epist. 9.  
Significatur in-  
stitutio facta  
super redem-  
ptione captivo-  
rum paganorū  
à Christianis &  
Christianorum  
à paganis.*

*Vide supra lib. 1.  
epist. 481.*

**I**Nter opera misericordiae quae Iesus Christus Dominus noster fidelibus suis in Evangelio commendavit, non minimum locum obtinet redemptio captivorum. Vnde personis illis, quae circumtaalia occupantur, favorem debemus apostolicum impertiri. Sanè viri quidam, de quorum existunt numero presentium portitores, nuper divinitus inflammati, regulam & ordinem invenerunt, per cuius instituta tertiam partem proventuum omnium, quos vel nunc habent, vel in futurum poterunt obtinere, in redemptionem debent expendere captivorum; & ut melius valeant suum propositum adimplere, cum saepe facilius per commutationem quam per redemptionem de captivitate ergastulo valeant liberari, ut paganos captivos à Christianis redimant est concessum, quos pro liberandis Christianis debeant commutare. Ceterum quoniam opera quae premissimus & Christianis expediunt & paganis, hujusmodi vobis duximus per apost. literas intimanda. Inspiret autem vobis ille qui via, veritas est, & vita, ut agnita veritate, quae Christus est, ad eam venire quantocumque festinetis. Datum Laterani VIII. Idus Martij, Pont. nostri anno II.

*CAPITULO XANTONEN.*

*Epist. 10.  
Confirmatur  
institutio de  
quadragenario  
numero Cano-  
nicorum.*

**C**onstitutionibus quae in Ecclesiis factae, canonicis non obviant institutis, cum ab apostolica sede suae robur confirmationis expectant, favorem apostolicum libentius impertimur, ut ea quae pro ipsarum utilitatibus ordinantur, inconversa maneat firmitate, & quae stabilita ratio comitatur, aliquorum temeritas non infirmet. Eapropter dilecti in Domino filij, vestris justis petitionibus grato concurrentes assensu, institutionem quam de quadragenario Canonicorum numero cum assensu venerab. fratris nostri Episcopi vestri, consentiente & assistente bonae memoriae W. Archiepiscopo Burdegalensi, & pia recordationis Henrico quondam Albanensi Episcopo tunc apostolicae sedis Legato approbante id ipsum, in Ecclesia vestra fecistis, sicut rationabiliter facta

est, auctoritate apostolica confirmamus, & praesentis scripti pagina communitus, auctoritate apostolica districtius inhibentes ne aliquis ad receptionem aliqujus ultra numerum constitutum qualibet vos temeritate, salvo in omnibus apostolicae sedis mandato, compellat, nisi forte Ecclesiae facultates in tantum excreverint, quod earum proventus pluribus sufficere dignoscantur. Decernimus ergo &c. nostrae confirmationis &c. Datum Laterani VI. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

*PICTAVEN. EPISCOPO.*

**P**roposita nobis dilectorum filiorum Abbatis & Conventus sancti Rufi querimonia demonstravit quod A. Iordani eorum Canonicus habitu regularium Canonicorum rejecto, sine Abbatis sui licentia in monasterio Malleacen. suscepit ordinem & regulam monachorum. Cum igitur juxta canonicas sanctiones religiosi Canonici non credantur à consortio sanctorum monachorum se juncti, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus si tibi constiterit de praemissis, jamdictum Canonicum ad Ecclesiam redire priorem, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas; ubi & memorialem cucullam eum deferre facias, & ultimum in choro manere; ut exemplo ejus alij similia non attentent. Datum Laterani XIII. Kalend. Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

*Epist. 11.  
Ne monachis  
liceat sine Ab-  
batis licentia in  
alium ordinem  
transire.*

*MARTINO PRIORI  
& fratribus Camaldulen.*

**P**ostulastis nuper à bonis ut heremum Camaldulensi & Ecclesiis aliis ad ipsam spectantibus super decimis & possessionibus, quas per annos XL. pacifice possederunt, paterna vellemus in posterum solitudine providere, quatenus nullius temeritas possit possessionem eorum quae praemissimus impedire. Nos igitur volentes justis petitionibus vestris favorem apostolicum impertiri, districtius auctoritate praesentium inhibemus, ne vos vel Ecclesias vestras super illis quae bona fide per annos XL. continue possedistis, aliquis praesumat de cetero molestare. Nulli ergo &c. nostrae prohibitionis &c. Datum Laterani VI. Idus Martij, pontificatus nostri anno secundo.

*Epist. 12.  
Quadragenario  
annorum polo-  
scitio valet.*